

Cum autem maior est character inferior, sub penultimum ad dexteram ducendus est, hoc modo:

8 6 2 8

9 2

Quæ est Diuisionis operatio?

1. Collocatis ritè, ut dictum est, numeris diuidentis & diuisore, semicirculus ad dexteram pingatur hac figura, (

2. Deinde uidentum est, quoties ultimus character diuisoris positus ad dexteram, haberi possit in ultimo caractere diuidendi, ita tamen, ut adiuncti eius socij si plures fuerint, etiam haberi possint: hoc quotiens uocatur, scribendum post semicirculum.

3. Quotiens scriptus post semicirculum, multiplicandus est per ultimum characterem diuisoris, & cæteros omnes, si plures sunt, & productum ex multiplicatione subtrahendum est à diuidendo, supra posito, & residuum si quod fuerit, iusto ordine & loco supra scribendum, caractere diuisoris & diuidendi à quo facta est subtractio, transfosso.

4. Si plures characteres diuidendi, à quibus nondum facta est subtractio, restant post primam operationem quisq; character diuisoris uno loco ulterius, uersus dexteram moueatur, et ut in ultimo caractere diuisoris